

nelium Clacum, virum nobilem et prudentem et super alios excellentissimum, regem Ydorum fecit et ordinavit. Quo peracto et statuto multis et magnis laboribus retro iter suum agrediens, ad partes scilicet Tirii anno uno et mensibus tribus conatus est accedere.

His ita gestis, habito virorum prudentum consilio, ut ad Romanam deberet redire civitatem, Romanum quidem imperium in pace et tranquillitate regere et gubernare. Quo audito a Iulio Cesare, tamquam vir insane mentis et furiosus elevata voce iussit habere scilicet, dicens: 'O milites et viri bellicosi et totius orbis subiugatores, quae est victoria vestra, quidve triumphus? oculis apertis et facie levata et illari animo ad Romanam poterimus accedere civitatem? Non est vobis liquidum et per universum orbem manifestum Nectabum Parthorum¹ et Emathiorum regem et Nichodemum Babilonie amiragium Marchum Crassum, virum nobilem et prudentem, Romanum imperatorem turpi et inopinabili nece interfecisse, ipsos namque Parthos² Romano rebelles imperio extitisse et tributum eidem dare recusantes, viros autem prudentes, qui cum Crasso erant, variis penis et tormentis morti tradidisse? O commilitones fortissimi, acta finem probant; initium vero et medium et usque modo diis nostris adiuvantibus, quibus grates referimus, nobis in omnibus *prospere accedit. Igitur tollite arma *f. 31b. bellica, et viriliter versus inimicos iter nostrum dirigamus et rebelles Romani imperii penitus suppeditemus, ut Romanum imperium in pace et quiete regere et habere valeamus'. His ita gestis et dictis, omnes laudaverunt nobilitatem et prudentiam eius, et post hec statim iussit tentoria movere. Qui per Frigiam et Armeniam equitantes, homines quoque illarum provinciarum amicos et fideles Romani imperii et cum eis federatos indempnes conservaverunt. Deinde ad partes scilicet Antiochie³ descendentes, civitatem illam omnino subiugavit et censum Romano imperio dare constituit. Cumque appropinquassent ad partes Nectabi Parthorum¹ regis, loca, castra et civitates, quas inveniebant, subiugavit. Intelligens Nectabus Parthorum¹ et Emathiorum⁴ rex de Iulii Caesaris adventu, legatos suos ad Nichodemum Babilonie amiragium misit, cum quo contra Romanos erat federatus, ut in eius succursum velocissime appropinquare deberet. Quo intellecto, nuntios per universam terram suam mittere curavit, ut viri omnes nobiles et bellicosi armis bellicis preparati ad suam deberent velociter accedere presentiam.

Et dum hec agerentur, Iulius Cesar in terram Nectabi Parthorum¹ et Emathiorum regis intrare festinavit. Hoc ita

1) 'parchorum' Hs. 2) 'parchos' Hs. 3) 'anachae' Hs. So ist ohne Zweifel zu emendieren. 4) 'emachiorum' Hs.